









1745.

1. Buderus, Christianus Gollub: De testamentis
episcoporum Germaniae
2. Buderus, Christianus Gollubus: Notitia juris feudalis
Deno. Norvegiae.
3. ^{n. 4.} Bekhardus, Christianus Alms: De jure utendi Catheratio-
nis vel simili remedio suspensio si appellatiōni
renunciatum est.
4. Engan, Jo. Rudolphus, Ord. jur. Decanus: Program-
ma, quo equitum ordinis Johanneici testamenti
facionem sistit ad ... David Gutheri ... Pro pa-
latiōnem ... invitatus.
5. Engan, Jo. Rudolphus: Programma: De feudis bur-
saticis ... Frederici Christiani Siveclii ... inas-
jurati disputationi ... praemissum.
6. ^{n. 6.} Engarius, Auleplum: De furto magno.

1745.

7. Heimbürgius, Dr. Corp., Ord. jur. exdecimus. Programma:
"De creditore ad jura tertio cedenda hanc obligato" . . .
Jo. Wilhelmii Westphalii. — Praeg. Dissertationi
praemissum . . .
8. Schmidt, Frach. Erdmann: De civitatis origine, civi-
tatumque systematis exemplo republ. Batavorum
illustratis
9. Walchius, Dr. Guas. Formae: De magistris veterum
Romano-rum, qua . . . Iamem Frickium . . .
probatione prosequitur
10. Walchius, Dr. Georgius: De translationibus ministerio-
rum in veteri ecclesia.

1746

1. Daries, Frach. Georgius: De acquisitione hereditatis ejusque
effectibus secundum jus naturae.

2.^o

1745.

2. Ingen, Jo. Rudolphus, Incomort. Ord. ad Decanos: Pro-
gramma I: De transactione cum laeso invita praesens
criminalem mitigante. Joann. Danielis Peiser-
hanti . . . inaugurali disputationi . . . praes-
missum.

3. Engenius, Jo. Rudolphus: De traditione rectoris
ad manus creditoris . . .

4. Graschius, Joann. Andreas: De indifferentia actionum
terminum moralium . . .

5^{at} Heimbürgius, Jo. Casp.: De transactione judiciali
invita . . . Sueti. 1746 = 1749.

6. Hoffmannus, Joann. Andreas: De iura mulierum,
quando licite vel ad commodanda vel legitime praeter-
mittere da.

7. Schamburg, Joann. Gottfr.: Ord. jus. ad Decanos: De sectione
debitoris in partes occasione legis decemvitalis⁵
dissert et simul Wilhelmii Sueti: Sommeschmid
disputationem inaug. . . indicat.

1746.

8. Lorber, Joannes Tacatus: De natura et indole remedii
devolutivi a spellationis in Germania aliisque provinciis

ciis

9. Walchius, Christ. Guil. Franciscus: De Ottone Magno Hungarico
rege ac Romanorum Imperatore.

10. Walchius, Jo. Ernestus Thomaeus: De vinculis apostolicae
Pauli.

EXERCITATIO PHILOSOPHICA

Pr. Co. num. 24

DE
ADQVVSITIONE HEREDITATIS
EIVSQUE EFFECTIBVS
SECUNDVM
IVS NATVRAE

13

1746, 1

P. 299

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

ERNESTO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-
GARIAE ET WESTPHALIAE RELIQA
D. IMPERAT. AVGVST. SVMMO TOTIVS CAESAREIQVITATVS
PRAEFECTO AC LEGIONIS EQVESTRIS ITEMQVE
PEDESTRI TRIBVNO

PRAESIDE
IOACH. GEORGIO DARIES

PHIL. ET I. V. D.
SERENISSIMO DVCI SAXO-VINAR. ISENAC. ET IENENSI A CONSILII
AVLICIS PHIL. MORALIS ET POLITICES P. P. O.
D. XXVI. MART. M DCC XXXVI.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBIIICIT
M. LAVRENT. IOAN. DANIEL. SVCCOV.
SVERINO - MEGAPOLITANVS

LL. CVLTOR.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS





PROOEMIUM.



Non dubito, fore permultos, qui ipsum
dissertationis, quam TVO, LECTOR,
BENEVOLO examini subiicio, ar-
gumentum contraditionem implicare
putant, iisdem veluti fontibus imbuti,
ex quibus *dubiorum iuris naturalis* auctor aliique ratio-
nes haurire voluerunt, ad corroborandam thesin, qua
affirmatur, in statu naturali homines esse in bonorum
communione, ideoque secundum naturale ius, quod
natura omnia animalia docet, nulla rerum obtinere do-
minia: indeque argumentantur, secundum ius, quo nul-
la valent rerum dominia, hereditatem acquirere, cer-
tissime sunt ideae inter se repugnantes, et triangulum
quadrilaterum. Hi vero sciant, eiusmodi argumenta-
tiones me non impellere, vt illam ad sententiam acce-
derem, significationem enim iuris naturalis ita limiti-
bus circumscribunt atque coarctant, vt ius naturae in
absolutum atque hypotheticum non possimus diuidere,
quam tamen diuisionem ipsa iuris naturalis notio in
):(pro-

PROOEMIUM.

programme de vera et ficta philosophia practica satis euoluta, docet. Secundum naturale ius absolutum homines in bonorum communione viuere non nego, e contrario variis in institutionibus iurisprudentiae vniuersalis corroborati argumentis; secundum vero ius naturale hypotheticum res, quae existunt, occupatas esse, nemo forsitan negare poterit. Ex quibus porro manifestum est, acquisitionem hereditatis secundum ius naturae explicaturus non ius naturale absolutum, sed hypotheticum vt spectet, necesse esse. Dicunt fortasse dissentientes, quid ius naturae hypotheticum? et cui bono, ius naturae hypothetice considerare? Quod primum attinet, sciant, vt ius naturae hypotheticum euoluturus in ea inquirere debeat, quae ratione iusti atque iniusti, ex notionibus eorum, quae hominum factis constituuntur, deducenda. Ita ad ius naturae hypotheticum pertinet doctrina de pactis, de dominio, de societatibus, ius publicum vniuersale, ius ciuile priuatum vniuersale, ius ecclesiasticum vniuersale, ius feudale vniuersale, et quae reliqua. Quoad alterum respondeo cum aureo ARISTOTELIS monito, quo innuit, ad studium aliquod se applicaturo ante omnia ea, quae ex natura atque constitutione obiecti fluunt, perspecta esse oportere, aut, si ARISTOTELIS auctoritas TE non ad consensum alliceret, verbis Ill. BOEHMERI, quae hac de re in Praefatione ad Introductionem in ius publicum vniuersale protulit: *Iura, quae statum publicum quarumcunque Rerumpublicarum dirigunt, duplicis esse generis, in vulgus notum est, vniuersalia scilicet et particularia, ita vt haec qui-*

PROOEMIUM.

quidem cuius Reipublicae propria, illa vero omnibus sint communia. Cum vero particularia tantum vniuersalibus superaddita sint, inde statim apparet, fundamentum omnium quaestionum, quae huc spectant ex vniuersali, hoc est, iure naturae petendum esse; et ita in addiscendo iure publico particulari, addo, in addiscendo iure privato, iure ecclesiastico, iure feudali particulari, et quae reliqua, initium ab vniuersali esse faciendum. Quemadmodum vero in iure privato haec inuersa methodus ab eruditioribus iam notata est; quod plerique, derelicto studio iuris naturalis, statim scita particularia iuris Romani et Germanorum excolere studeant, ita eadem fata in plerisque Academiis studium iurispublici, addo iuris ecclesiastici, feudalis et quae reliqua, hactenus habuit, ut qui hisce se dederunt, illotis manibus illud aggressi fuerint, satis esse putantes, si leges publicas fundamentales, et obseruantias imperii, ut vocant, summo studio euoluerent, de quibus tamen digne iudicare haud possunt, si fundamenta omnium rerum publicarum, nexum civilem, statum eorundem varium, et quae huc spectant, susque deque habuerint. Et qui aliter fieri potuit, cum publici iuris Doctores, quibus disciplina eiusmodi iurium vniuersalis commodata esse debebat, illam vel contemnant, vel ut superfluam et minus necessariam iudicent. Et quae reliqua. Possem hic ea etiam citare, quae HERTIVS in Vol. I. Opusc. Comment. I. de iurisprudencia vniuersali egregie monuit, ne vero ambages fiant molestae, citata pro scopo sufficiant. Argumentis itaque atque celeberrimorum nominum auctoritate satis confirmari potest, quod non vtile solum fit, sed et necessarium, in ea inquirere, quae circa mortalium

EXERCIT.

:(2

facta

PROOEMIUM.

facta, eaque, quae inde constituuntur, iuris naturalis. Quae cum ita sint, mihi constitutum est, iura, quae inter homines valent, ad principia iuris naturalis, quae in Institutionibus Iurisprudentiae vniuersalis demonstrari, quantum fieri potest, reuocare, seu in ea inquirere, quae circa illa sunt iuris naturalis, quo deinde usum, quem Ius Naturae et Gentium in explicandis iuribus positius praestat, docere, manifestumque reddere possim, totum Iurisprudentiae systema, si Deus vitam et vires concefferit, enucleaturus. Speciminis loco hac in dissertatione ea, quae circa acquisitionem hereditatis sunt iuris naturalis, generatim in quatuor capitibus euoluere volui. *Primum* delationem iuris hereditarii secundum ius naturae docebit; *secundum*, acquisitionem iuris hereditarii secundum ius naturae determinabit; *tertium* modos secundum ius naturae hereditatem adquirendi demonstrabit; et *quartum* effectus, qui ex hereditatis acquisitione ortum trahere possunt, generatim explicabit. Quod si tu, LECTOR, audacius a me factum existimas, confidentiae, quam mihi concedis, adsigna: si recte, amor, quo ius naturale bonasque artes complecti soleo, attribue; atque vale.



EXERCIT.



EXERCITATIONIS
DE
ADQUISITIONE HEREDITATIS
EIVSQVE EFFECTIBVS
SECVNDVM
IVS NATVRAE.

CAPVT I.
DE
DELATIONE IVRIS HEREDITARII SE-
CVNDVM IVS NATVRAE.

§. I.



Igitur primo loco ea, qua fieri potest, *In adquisitio-*
breuitate monemus, in iure naturali *ne ius acqui-*
monstrasse Doctores, in omni adquisitio- *rendi ab ipsa*
ne duo distinguenda esse, *adquisitione di-*
stingui debet.
ius nimirum
adquirendi et ipsam acquisitionem, seu titu-
lum atque acquirendi modum. Veram hanc
esse propositionem, diffidendum non est; sed sunt ta-
men in iure acquirendi distinguenda, non animaduersa
omnibus et intellecta.

A

§. II.

§. II.

Ius acquirendi duplex est.

Distinguendum namque esse ius acquirendi, *in ius ab altero postulandi, ut nobis aliquid praestet, et ius aliquid sine alterius praestatione in rō nostrum recipiendi*, ex ipsa iuris acquirendi notione facile inferri poterit, perpensus, illam diuisionem eas docere rationes, quibus quis ius suum acquirendi possit persequi, nimirum aut mediante facto eius, a quo aliquid saluis legibus acquirere potest, aut sine eiusdem concursu.

SCHOL. In hac iuris acquirendi diuisione veritatem esse, non ex praecipis solum iuris naturalis manifestum est, sed et infra argumentis quibusdam corroborabo.

§. III.

Eiusque delatio explicatur.

Defertur ius aliquid acquirendi quo efficitur, ut saluis legibus ab altero, ut nobis aliquid praestet, postulare possimus. Quare, cum leges vel perfectae seu cogentes, vel imperfectae seu non-cogentes, delationem iuris aliquid acquirendi in perfectam et imperfectam ut diuidamus, necesse erit. Ex quibus simul manifestum est, posita delatione iuris acquirendi perfecta alteri concessum esse ius ab altero mediante etiam coactione postulandi, ut illi aliquid praestet: posita vero delatione iuris aliquid acquirendi imperfecta alteri quidem concessum esse ius, ab altero postulandi, ut illi aliquid praestet, quod vero sine coactione persequi debet.

§. IV.

Quae duplici ratione fieri potest.

Leges determinare ea, ex quorum oppositis sequuntur, quae legibus repugnant: et quemlibet de iis, quae ad rō suum pertinent, ea ratione, qua ad rō suum pertinent, suo pro arbitrio posse disponere, inter omnes constat. Ideoque patet, duplici ratione ius aliquid acquirendi deferri posse, *ipsa nimirum legis dispositione, atque facto eius, a quo aliquid acquirendum.*

§. V.

§. V.

Coniungas cum hisce, quae in Institutionibus iuris prudentiae vniuersalis de iure perfecto atque imperfecto explicauimus, et prono inde alueo veluti fluet, *ius aliquod acquirendi imperfecte deferri aut imperfectae legis dispositione, aut nuda eius, a quo aliquod acquirendum, promissione.* *Quae ad delationem iuris imperfectam,*

§. VI.

Perfecte vero eiusmodi ius deferri aut perfectae seu cogen^{er perfectam} tis legis dispositione, aut pacto, aut facto, quo is, a quo ali^{adcommodan-} quid acquirere volumus, nos turbauit.

SCHOL. I. Scio equidem, auctores veteres non adeo fuisse exquisitos, vt eam differentiam, fundamento tamen minime destitutam, obseruarent semper et omni loco. Ipse PVEENDORE. in *I. Nar. et Gent. Lib. III. cap. V. §. I. et VI.* omne ius acquirendi in promissione aut pacto deferri affirmat. Indequo varias fictiones, de quibus satis in *Programmate de vera atque ficta philosophia practica* dixi, vt eiusmodi posuit principia, quae sufficientia ad permulta iuris naturalis praecepta euoluenda atque corroboranda. Sed captus forsan est sermone vulgari, et suo etiam aetno recepto, quo omne ab altero aliquod acquirendi ius aut contractu aut delicto deferri affirmatur. Hanc vero diuisionem sub examen, vt ita dicam, logicale reuocaturus, eandem minus accurate formatam esse, eo libentius concedet, quoniam ipse Romanorum Praetor idem tacite factus est, tam quasi-contractus, quam quasi-delicta hanc ob rationem fingens.

SCHOL. II. Sunt forsan, qui facilius celeberrimorum nominum auctoritate, quam argumentationibus, quas ipsa docet ratio, adduci possunt, vt in sententiam illam, quam probaui, accedant. Hi, quae magnus HVG O GROTIVS in *I. B. et P. Lib. II. c. I. §. II. ff. de delatione iuris acquirendi pactione, maleficio atque lege* indicauit, et quibus rationibus eiusmodi GROTII sententia a Per-Illustri de COCCERII, quem nostra aetas certissime inter summos iuris naturalis Doctores iuste refert, solidissime in *Observationibus ad hunc locum* limitata est, legant atque perpendant.

§. VII.

Complexus omnium eorum, quae in dominio nostro existunt, constituit *hereditatem nostram.* Is, qui *Hereditas. Heres et Ius hereditarium de quid.*

A 2

defuncti cuiusdam hereditatis fit dominus, vocatur *heres*. Et ius hereditatem alterius in τὸ nostrum ita recipiendi, vt alius sine nostra laesione eandem in τὸ suum recipere nequeat, *iuris hereditarii* accepit nomen.

§. VIII.

*Varia ratione
iuris heredi-
tarii notantur
confectaria.*

Hac ex iuris hereditarii notione recepto loquendi vsui, qui inter omnes constat, minime contraria sequitur, 1) vt ius ab altero postulandi, vt ius hereditarium nobis concedat, ab ipso iure hereditario distinguere debeamus (§. 2.): 2) vt ius hereditarium illi sit delatum, qui habet ius ab altero, concessionem iuris hereditarii postulandi (§. 3.): 3) vt nemini ius hereditarium competere possit, nisi cui sit delatum (§. 1. 3.).

§. IX.

*Delatio iuris
hereditarii
per pactum.*

His praemisissis accipe has theses. Primo, *Ius hereditarium pacto deferri potest*. De eo enim, quod nostro in dominio est, nostro etiam pro arbitrio, ideoque etiam in futurum mortis euentum in alterum transferendo disponere (§. 445. 451. Cor. 2. I. N.), ergo et pacifice licet (§. 415. Cor. 3. I. N.). Manifestum itaque est, ex ipsa dominii notione, id est, iure naturali sequi, vt pacta constitui possint, quibus quis alteri concessionem iuris hereditarii promittit (§. 7.), ideoque ius hereditarium defert. (§. 8. conf. §. 420. I. N.).

SCHOL. Obiiciunt forsitan dissentientes *l. ult. c. de pactis*, huiusque auctoritate sussulti eiusmodi pacta bonis moribus aduersari affirmant. Perpendant vero verba legis, quo facto facile concedent, in eadem esse sermonem de pactis, quibus de hereditate tertii cuiusdam certi sine huius consensu disponunt mortales, ideoque eiusmodi legem principio ante demonstrato minime repugnare.

§. X.

*Quae est per-
fecta atque ir-
reuocabilis.*

Pacta ergo hereditaria, quibus nimirum ius hereditarium alteris defertur, sunt iuris naturalis. Et quoniam

niam ex pacto acceptanti oritur ius promittentem cogendi, vt ea, quae promisit, seruet (§. 420. I.N.) porro manifestum est, eiusmodi iuris hereditarii delationem esse perfectam atque irreuocabilem (§. 3.) vide (§. 6.).

§. XI.

Ius hereditarium nuda promissione etiam secundum ius naturale posse deferri, eodem ex principio, ex quo §. 9. argumentati sumus, legitime potest inferri. *Delatio iuris hereditarii per nudum promissionem.* Quum enim dominus de eo, quod in dominio habet, in futurum etiam mortis euentum in alterum transferendo suo pro arbitrio disponendi habeat ius: consequens est, vt leges etiam naturales domino dent ius alteris concessionem iuris hereditarii promittendi (§. 7.). Quare, cum quilibet obligatus sit, vt promissa legibus non repugnantia seruet (§. 404. I.N.), et posita ad aliquid praestandum obligatione, ex altera parte ius, eiusmodi praestationem postulandi, poni debeat (§. 152. Cor. I. N.), manifestum est, nuda etiam promissione secundum praecpta naturalia ius hereditarium posse deferri (§. 8.).

§. XII.

Quum ius, quod obligationis imperfectae correlatum, inter iura imperfecta referri debeat: consequens est, vt delatio iuris hereditarii nuda promissione facta sit imperfecta atque reuocabilis, seu vt is, cui ius hereditarium nuda promissione delatum, ius quidem habeat, ab altero postulandi, vt promissa illa praestet, quod tamen sine omni coactione perfectum debet (§. 3.) vide (§. 5.).

§. XIII.

Expressam atque nudam voluntatis declarationem, qua quis alteri ius hereditarium defert, omnes vocant *Atque testamentaria.* testamentum. Satis itaque probatum est, ex iuris naturalis scientia sequi, 1) fieri posse, vt quis alteri testa-

mento ius hereditarium, sed imperfecte, deferat (§. 11. 12.). 2) Vt heres testamento institutus, seu is, cui testamento ius hereditarium delatum est, habeat ius a testatore, sine omni tamen coactione postulandi, vt testamento promissa praestet (§. 12.). 3) Vt testator voluntatem in testamento declaratam vsque ad vltimum vitae haticum iuste agendo possit reuocare.

SCHOL. Consulto addimus in definitione de testamento, *qua quis alteri ius hereditarium defert, seu heredem instituit.* Notum quidem est, permultos affirmare, heredis institutionem non ad testamenti essentiam pertinere, sed ex singulari ratione Romanos, vt testamenta sine heredis institutione inualida sint, voluisse. Qua ex ratione ad multorum populorum consuetudines Pictonum nimirum aliorumque, quarum vi testamenta absque heredis institutione valida sunt, prouocant. Sed salua est res nostra, loquimur enim de testamento strictissime sumto, ne ambiguae vocis significationes eiusmodi excitarent concertationes quae nullius momenti. Sit testamentum nuda et expressa voluntatis declaratio, qua quis de bonis in dominio suo existentibus in futurum mortis euentum disponit; testamentum in commate explicatum testamenti erit species, quae *uox* *testamentum* vocatur. Et inde non minus intelligi posse videtur, quae de testamento in specie sumto euoluta ad testamenta generatim sumta, si modo aliqua ratione extendantur, facili negotio posse adcommodari.

§. XIV.

*Delatio iuris
hereditarii
per leges natu-
rales perfecta.*

Nec dubitari potest, quin ius hereditarium lege etiam naturali tam perfecta quam imperfecta possit deferri. Quum enim dominus res suas ea ratione, qua placet, alienare possit (§. 455. I.N.); consequens est, vt easdem mediante pacto ea etiam lege alteris possit concedere, vi cuius hic se obligat, vt illa bona non nisi determinatis subiectis deinde velit concedere. Hic itaque perfecte obligatus est, vt non alijs, quam ante determinatis subiectis, eiusmodi bona concedat (§. 419. I.N.). Ex quo consequitur, vt subiecta illa habeant ius ab vltimo dictorum bonorum possessore eorundem bonorum ratione concessionem iuris hereditarii mediante etiam coactione

ne

ne postulandi (§. 152. Cor. 153. I. N.). Hisce itaque lege naturali perfecta eiusmodi ius hereditarium est delatum (§. 8. et 6.).

SCHOL. Fortasse dixerit quispiam, hisce sub determinationibus ius hereditarium non lege sed pacto deferri. Sed hic sciat, pacto promissum non tertio sed acceptanti solummodo deferri, ideoque eiusmodi hereditarium ius acceptanti mediante pacto, ceteris vero successoribus mediante lege pacto illo constituta esse delatum.

§. XV.

Si ratio, cur quis in bona alterius succedat, in determinato quodam est modo, quo eiusmodi bona defuncto ante concessa sunt, *successionem* vocant *familiarem*. Rationem itaque habemus, ut iuris hereditarii delationem, de qua §. 14. dictum, *speciem delationis familiaris* vocemus. Manifestum itaque est, eiusmodi iuris hereditarii delationem esse 1) iuris naturalis, 2) perfectam et 3) ab ultimo bonorum possessore irrevocabilem.

§. XVI.

Per leges tandem naturales etiam imperfectas ius hereditarium deferri posse, ex amoris natura hac ratione deduco. Sequitur ex natura amoris conatus, alterum, quem amamus, quantum fieri potest, iuvandi. Qui itaque per naturam obligatus est, ut aliquem maxime amet, ille per naturam etiam obligatus est, ut huic bona sua, quae in propriam felicitatem non ultra dirigere potest, concedat. Consequens inde est, ut is, quem ille maxime amat, ex lege amoris seu imperfecta habeat ius ab eodem concessionem iuris hereditarii postulandi (§. 7.). Ius itaque hereditarium per legem naturalem imperfectam deferri potest (§. 8.).

§. XVII.

Est vero delatio iuris hereditarii per leges naturales imperfectas seu amoris facta, delatio imperfecta (§. 5.) ideoque revocabilis.

§. XVIII.

§. XVIII.

*Delatio iuris
hereditarii
perfecta im-
perfectae prae-
ferenda est.*

Manifestum est ex dictis, ius hereditarium secundum naturale ius variis rationibus posse deferri, perfecte nimirum per pactum (§. 10.) et per legem familiarem pacto constitutam (§. 15.); imperfecte per testamentum (§. 13.) atque legem amoris (§. 17.). Quae cum ita sint, necesse est, ut in eas inquiramus rationes, quae docent, quanam delatio, si nimirum ius hereditarium diuersis subiectis diuersas per rationes delatum, secundum naturale ius praeferenda. *Delationem iuris hereditarii perfectam imperfectae, cum qua in collisione est, praefendam esse, hac ratione cuiusco.* Delatio iuris hereditarii perfecta sine alicuius laesione reuocari non potest (§. 3.). Si itaque imperfecta eiusmodi iuris delatio perfectae praeferatur, consequens erit alterius laesio. Quare, cum in collisione legum, quarum obseruationes salutem temporariam efficiunt, ea lex, quae, neminem laedas, praefcribit, praeferri debeat (§. 542. I.N.) manifestum est, in collisione delationum iuris hereditarii perfectae atque imperfectae perfectam secundum naturale ius esse praefendam.

§. XIX.

*In collisione
delationum
perfectarum.*

Si delationes iuris hereditarii perfectae, quarum altera per pactum, altera vero per legem familiarem pacto constitutam facta, in collisione, delatio per legem familiarem delationi per pactum secundum naturale ius praeferri debet. Pactum enim, in quo promissio cum laesione tertii coniuncta, secundum naturale ius inualidum est (§. 419. Cor. 3. I.N.). Si quis per pactum alteri deferat ius hereditarium, quod alteri per legem familiarem ante delatum, eiusmodi pactum cum laesione tertii erit coniunctum (§. 329. I.N.). Ideoque eiusmodi iuris hereditarii per pactum delatio secundum naturale ius inualidum est. Huic itaque delatio per legem familiarem facta praeferri debet.

§. XX.

§. XX.

Si tandem delationes iuris hereditarii imperfectae, quarum altera ex testamento, altera vero ex lege amoris deducenda, in collisione, illa secundum naturale ius huic praeferrenda. Et imperfectarum quarum nam praeferrenda.

Quoniam enim, ius hereditarium per legem amoris delatum esse, hac ex ratione deducatur, quia quis eum, quem per naturam maxime amare debuit, maxime amavit (§. 16.), mutatis vero circumstantiis fieri possit, ut quis alium magis amet, quam eum, quem natura maxime amare debuit (§. 504. I. N.); consequens est, ut, ius hereditarium per legem amoris delatum esse, ex eo deducatur fundamento, quod probabilium logica docet, vi cuius naturale in dubio praesumendum. Quoniam vero eiusmodi praesumptio cessat, si hypotheticum adesse satis probari potest, et hoc fieri potest, si alteri ius hereditarium testamento satis probato delatum (§. 13.), manifestum est, delationem iuris hereditarii per testamentum delationi per legem amoris praeserendam esse.

§. XXI.

Et ita satis patet, si ius hereditarium diuersas per rationes diuersisque subiectis delatum, secundum naturale ius primo valere delationem per legem familiarem pacto constitutam (§. 18. 19.), post delationem per pactum (§. §. cit. cit.), deinde delationem per testamentum satis probatum (§. 18. 20.), et tandem delationem per legem amoris (§. §. cit. cit.). Ex dictis conclusio generalis deducitur.

SCHOL. Quamuis delatio per testamentum delationi per amoris legem praeferrere debeat, si testamentum satis probatum: ea tamen regula non valebit, si testamentum illud satis probari nequeat; quia tunc valet regula probabilitatis; naturale praesumendum est, si hypotheticum satis probari nequit.

CAPVT II.

DE

ADQUISITIONE IVRIS HEREDITARII
SECUNDVM IVS NATVRAE.

§. XXII.

Adquisitio iuris perfecte delati generatim explicatur.

Is, cui ius aliquid acquirendi perfecte delatum est, ipso iure naturali acquirit ius rem, ad quam ius, illud se refert, in rō suum recipiendi, si res illa existit, ab altero vero non potest praestari. Ponamus enim dicta ratione alicui ius, rem, quam brevitatis causa A vocabo, acquirendi delatum esse, saluo iure naturali fieri non poterit, vt ius huius acquirendi A intercipiatur (§. 3.). In perpetuum itaque habet ius mediante etiam coactione concessionem domini de re A postulandi. Quare, cum ius ad finem det ius ad media, si ab altero res illa A non potest praestari, is, cui ius illud perfecte delatum, ipso iure naturali acquirit ius, rem dictam A, si existit, in rō suum recipiendi (§. 2.).

§. XXIII.

Quod adcommodatur ad acquisitionem iuris hereditarii per legem familiarem atque per pactum delati.

Adcommodemus principium illud ad acquisitionem iuris hereditarii per legem familiarem atque per pactum delati. Notum est tam illam quam hanc esse delationem perfectam (§. 10. 15.), et ipsa mortis natura docet, si ius illud per legem familiarem delatum, sequuta ultimi possessoris morte, et si per pactum delatum, sequuta promittentis morte subiecto, cui eiusmodi ius delatum, ab altero quodam hereditatem delatam non posse praestari. Sequuntur itaque propositiones. 1) *Subiectum, cui ius hereditarium per legem familiarem delatum, ipso iure naturali, sequuta ultimi possessoris morte, acquirit ius, hereditatem delatam in rō suum recipiendi.* 2) *Subiectum, cui ius hereditarium per pactum delatum, ipso iure naturali, sequuta promittentis*

tentis morte, et si nemini per legem familiarem eiusmodi ius delatum, acquirit ius, hereditatem delatam in rō suum recipiendi (§. 22. 19.).

§. XXIV.

Actio, qua ius alterius acquisitum violatur, iuri naturali perfecto repugnat (§. 328.). Sequuta itaque ultimi possessoris morte, is, cui ius hereditarium per legem familiarem delatum, et sequuta promittentis morte, si nimirum nemini per legem familiarem eiusmodi ius delatum, is, cui ius hereditarium per pactum delatum, ipso iure naturali acquirit ius, hereditatem delatam ea ratione in rō suum recipiendi, vt alius quidam sine illius laesione eandem in rō suum recipere nequeat (§. 23.). Quare, cum eiusmodi ius vocetur ius hereditarium (§. 7.), factis patet 1) subiectum, cui ius hereditarium per legem familiarem delatum, ipso iure naturali, sequuta ultimi possessoris morte, acquirere ius hereditarium; 2) subiectum, cui ius hereditarium per pactum delatum, ipso iure naturali, sequuta promittentis morte, et si nemini per legem familiarem eiusmodi ius delatum, ius hereditarium acquirere.

Et fundamentum, quo ius illud hereditarium acquiritur, determinatur.

§. XXV.

Porro ex dictis facile inferri potest, ius hereditarium per legem familiarem delatum, sequuta ultimi bonorum possessoris morte, eo ordine a successoribus acquiri, quo a primo adquirente delatum est. Eiusmodi enim successores, sequuta ultimi possessoris morte, ius hereditarium acquirunt, quoniam per legem familiarem, quam ultimus ille possessor non potuit reuocare, eiusmodi ius delatum est (§. 23. 24.). Legem hanc familiarem a primo bonorum adquirente constitutam esse, docet §. 15. Ius itaque naturale iubet, vt dictis sub determinationibus eo ius hereditarium adquirant ordine, quo a primo bonorum adquirente delatum.

Adquisitio iuris hereditarii per legem familiarem delati magis determinatur.


§. XXVI.

Et principium generale eiusmodi successionem determinans inde deducitur.

Ex quo porro manifestum est, subiectum, quod in successione familiari, sequuta ultimi possessoris morte, ius hereditarium adquirat, obuiio in casu secundum naturale ius determinaturus non ultimi possessoris sed primi adquirentis voluntatem ut spectet, necesse esse

SCHOL. I. Obuerti nobis posset, modum succedendi obuiio in casu determinaturus, eius debere voluntatem spectare, cuius successor fiat heres. Quoniam vero successor ille non primi adquirentis sed ultimi bonorum possessoris fiat heres, necesse esse, ut eiusmodi successionem obuiio in casu determinaturus ultimi possessoris voluntatem spectet. Enim vero quum ex principiis ante explicatis sequatur, ut successor eius fieri debeat heres, a quo hereditarium ius delatum est (§. 7.), in successione vero familiari non ab ultimo bonorum possessore sed a primo adquirente ius hereditarium delatum fit (§. 15.): facile intelliges, cur eiusmodi argumentum thesin nostram non euerat. Vsum huius principii perspicies successiones feudales secundum naturale ius explicaturi.

SCHOL. II. Accipe illustrationem dicti. Ponamus Caium constituisse legem familiarem, vi cuius descendentes eo ordine in bona illius succedant, ut successio sit linealis, in qua ius primogeniturae ea tamen restrictione valeat, ut descendentes masculi faeminis semper praefereendi. Hac posita lege sumamus porro, deficientibus omnibus masculis oriri quaestionem, an filia ultimi possessoris, an vero filia primogenitae ante ob masculi existentiam exclusae succedat? Schema hoc esto



Quaeritur an mortuo ultimo bonorum possessore D, et mortua primogenita B, filia primogenitae F filiae ultimi possessoris E secundum naturale ius praeferenda? respondeo, posita illa lege secundum naturale ius filiam F filiae E esse praefereendam. Non enim ultimum possessorem sed primi acquirentis voluntatem spectare debet, eiusmodi successione secundum naturale ius determinaturus. Velim tamen ut notes, secundum naturale ius validum esse posse, quod secundum ius gentium per pactum aliasque rationes constitutum non valet. Dicta perpensurus facile intelliget, eadem, qua feci, ratione ad omnes, quae de eiusmodi successione proponuntur quaestiones, ex iure naturali responsionem nos posse deducere.

§. XXVII.

Id de acquisitione iuris hereditarii perfecte delati sufficiat. Transeo ad alteram iuris hereditarii imperfecte seu per legem amoris atque testamentum delati adquisitionem. Hanc ad explicandam sequentem pono thesin. *Si quis certa sub conditione habuit ius ab altero postulandi, ut illi rem quandam praestet, is etiam, si probare potest, conditionem illam nondum esse remotam, nec fieri posse ut cesset, rem illam ab eo, a quo eiusdem praestationem postulare potuit, non posse praestare, attamen existere, habet ius eiusmodi rem in se suum recipiendi.* Quum enim ex metaphysica notum sit, durante conditione id etiam durare, quod per eandem constitutum; et ex probabilium logica, id, quod adfuit, in dubio praesumendum esse, donec eiusdem remotio satis possit probari: consequens est, ut is, qui certa sub conditione habuit ius, ab altero concessionem rei cuiusdam postulandi, idem ius porro habeat, si, conditionem illam non esse remotam, et fieri non posse, ut eadem cesset, probari poterit. His sub determinationibus ponamus, rem illam quidem existere, fieri vero non posse, ut alter eandem praestet, ope principii, ius ad finem dat ius ad media, manifestum erit, illum habere eus eandem rem in se suum recipiendi (§. 2.). Vide dem. §. 22.

Principium generale, ex quo adquisitio iuris hereditarii imperfecte delati explicanda, corroboratur.

§. XXVIII.

*Et ad adquisi-
tionem iuris
hereditarii per
testamentum
delati adcom-
modatur.*

His praemisissis ponamus, alicui per testamentum ius hereditarium delatum esse: hic ea sub conditione, quod testamentum sit iustum atque a testatore non reuocatum, habebit ius a testatore concessionem hereditatis postulandi (§. 13.). Ponamus porro, testamento illo nec pacta hereditaria, nec leges familiares esse violatas; testamentum erit iustum (§. 19. 20.). Ponamus tandem, testatorem esse mortuum, duranteque vita testamentum non reuocasse; heres institutus satis probare poterit, conditionem, sub qua hereditarium ius delatum, non esse remotam: fieri non posse, vt eadem cesset: et hereditatem delatam testatorem non posse praestare Et ita manifestum est, *heredem institutum dictis sub determinationibus secundum ius naturae habere ius hereditatem illam delatam in rō suum recipiendi* (§. 27.).

§. XXIX.

*Quae adquisi-
tio corroboratur.*

Quae cum ita sint, eadem ratione, qua §. 25. argumentatus sum, corroborari poterit, *eum, cui ius hereditarium per testamentum, a testatore durante vita non reuocatum, iuste delatum, sequuta testatoris morte, ipso iure naturali, ius, hereditatem testamento delatam ita in rō suum recipiendi, vt alius sine illius laesione eandem in rō suum recipere nequeat, id est, ius hereditarium* (§. 7.) *acquirere.*

SCHOL. Non dubito, fore, qui cum Ill. HEINECCIO in *Elementis I. N. et G. Lib. I. §. 287. n.* hac ratione contra thesin nostram argumentantur: *Quum nec testator, de rebus suis disponens, aliquid cum herede agat, nec heredi, quando acquirit, cum testatore quidquam sit negotii, neutro casu ius aliquod ab illo ad hunc transire, manifestum est. Qua ex re plura fingenda fuerunt a iureconsultis, in fingendo ingeniosissimis, vt a rōrta haec consistere quodammodo videntur.* Hi vero sciant, nec vltimi nec primi syllogismi consequentiam esse legitimam. Proponant primum syllogismum in forma, et intelligant, consequens non esse, *neutro casu ius aliquod ab illo ad hunc transire, sed, testator heredi instituto promissa non praestat nec praec-*

praestare potest. Vltimum, licet sit verum, principio tamen a me corroborato non repugnat. Primum non sequi, inde manifestum est, quoniam ius aliquod ipso etiam iure naturali sine alterius praestatione adquiri potest (§. 5. 6.). Haec vero ratione ius hereditarium per testamentum delatum adquiri, argumentis mea sententia satis corroborauit. Ex quo porro sequitur, secundi syllogismi conclusionem thesin nostram non euertere. Nulla enim fictione, qua nimirum momentum testamenti factionis idem sit cum momento mortis, aut momentum mortis idem sit cum momento aditionis, et quae sunt reliquae, ad corroborandam illam thesin vltus sum. Ipsa ergo experientia contrarium loquitur. Ad reliqua, quae in contrarium adducunt, argumenta infra respondebo.

§. XXX.

Ponamus tandem, alicui ius hereditarium per legem amoris esse delatum, consequens erit, vt hic habeat ius, ab altero hereditatis concessionem postulandi, si nimirum alter ille alium non magis amauit, quam eum, quem per naturam maxime amare debuit (§. 16.). Quare, cum logica probabilitum doceat, naturale in dubio praesumendum esse, donec hypotheticum satis possit probari, et sequuta morte eius, a quo eiusmodi ratione ius hereditarium delatum est, fieri non possit, vt conditio illa cessaret, sequitur, vt is, cui ius hereditarium per legem amoris delatum est, si probari nequit, eum, a quo eiusmodi ius delatum, alium durante vita magis amasse, quam eum, quem per naturam maxime amare debuit, sequuta illius morte habeat irreuocabile ius concessionem eiusmodi hereditatis postulandi; ideoque, quoniam dictis sub determinationibus fieri non potest, vt eiusmodi hereditas praestetur, (quod ex natura mortis satis manifestum est), ius hereditatem dicta ratione delatam in se suum recipiendi (§. 27.).

Porro principium §. 27. possum ad acquisitionem iuris hereditarii per legem amoris delati adcommo-
datum.

§. XXXI.

His probatis non difficile erit, probare, eum, cui ius hereditarium per legem amoris iuste delatum, sequuta eius, Quae adquisitio corroborata quo

a quo delatum est, morte, ipso iure naturali acquirere ius, hereditatem illam ita in rō suum recipiendi, ut alius eandem sine illius laesione in rō suum recipere nequeat, id est, ius hereditarium (§. 7.); si nimirum probari nequit, illum alium magis amasse, quam eum, quem per naturam maxime amare debuit. Eodem enim ex fonte immediate fluit, ex quo principium, §. 29. positum, deduxi.

SCHOL. Ipse GROTIUS Lib. II. c. VII. §. 3. atque PVFENDORF *de Iure Naturae ex Gentium* Lib. IV. cap. XI. §. 1. eandem affirmarunt thesin sed alia quadam ex ratione, cuius ab illa, qua thesin corroboravi, differentiam brevissimam ut indicarem, non sine commodo erit. Deduxerunt nimirum eandem ex voluntatis defuncti coniectura, sequenti PLINIVM affirmantem: *defunctorum voluntatem intellexisse, pro iure est.* Hoc posito intulerunt, quoniam in dubio praesumitur, quemlibet id voluisse, quod naturali inclinationi simul ac officio quam maxime congruit, ei, quem defunctus per naturam maxime amare debuit, ius hereditarium esse concedendum, si alia quadam ratione voluntatem de bonis in futurum mortis eventum transferendis non declaraverit. Vera sane est thesis, sed ex fictione quadam praesumpta nimirum voluntate deducta. Haec itaque est sententiarum differentia, ex GROTTII PVFENDORFIIQUE opinione ius hereditarium ab intestato acquisitum per praesumptam domini voluntatem, mea vero ex sententia ipso iure naturali delatum est. Fluit eadem thesis ex diverso fonte. Huius vero diversitas diversas etiam dat theses extensiones. Propositionis enim significatum eam per rationem, qua corroboratur, determinandum esse, logica satis docet. Vnico dicta illustrabo consecutario. Sumas sententiam GROTTII atque PVFENDORFII, et intelliges, legitime sequi, quae HEINECCIUS in *Elem. Iur. Nat. et Gentium* Lib. I. §. 284. inde deduxit, acquisitionem nimirum iuris hereditarii ab intestato pacto praesumpto niti. Ex quo porro consequitur, secundum etiam naturale ius ex praesumpta promissione tam obligationem quam ius ortum trahere. Sumas vero meam sententiam, et intelliges, eiusmodi conclusiones minime inde sequi. Accedit, fictiones non dare leges naturales, sed leges probatas certis sub determinationibus solummodo illustrare. Et quae reliqua.

SCHOL. II. Porro velim, ut notes, HEINECCIUS de testamento atque successione ab intestato sententias minime cohaerere. Affirmavit nimirum §. 287. f. acquisitionem iuris hereditarii per testamentum delati

lati minime esse iuris naturalis. Falsam vero hanc esse sententiam iisdem rationibus, quibus successione ab intestato esse iuris naturalis corroborare voluit, probari potest. Quum enim successio ab intestato hac ratione sit iuris naturalis, quia ob praesumptam defuncti voluntatem res sit tradita, et ex praesumptione ab herede futuro acceptata, in testamento vero testator voluntatem suam expresse declaraverit, et eadem hic sit ratio, cur heredem institutum hereditatem acceptasse praesumendum, quoniam ex ipsa rei indole non potest non iudicari, heredem institutum rem, quam testator traditurus est, non adspernaturum: consequens est, ut ratio illa sufficiens esse debeat ad affirmandum, acquisitionem iuris hereditarii per testamentum delati esse iuris naturalis, si sufficiens sit ad corroborandum, successione ab intestato esse iuris naturalis.

CAPVT III.

DE

ADQVVSITIONE HEREDITATIS
SECUNDVM IVS NATVRAE.

§. XXXII.

Haecenus delationem iuris hereditarii acquisitionemque iuris hereditarii delati secundum naturale ius expendimus. Proximum est, ut promissi memores, etiam ipsam hereditatis acquisitionem, ad principia iuris naturalis reuocatam, veluti in nucleo exhibeamus. Quum vero haec nitatur diuisione quadam a Doctoribus iuris naturalis neglecta, illius indolem perspicere sine distincta huius explicatione atque satis confirmata non posse, facile patet.

§. XXXIII.

Haec est Doctorum iuris naturalis sententia, omnem rem aut esse in dominio aut nullius. Eandemque in prima iurisprudentiae vniuersalis editione professus sum. Hac vero diuisione ad regulas logices reuocata facile

Transitus.
Res vel est in dominio vel iacens vel nullius.

C

in-

tellexi, eandem, licet ab omnibus fere probata; logice minime esse formatam, ideoque in secunda editione sententiam mutavi, quam hac ratione confirmo. Ponus rem. De hac vel quis suo pro arbitrio disponere potest, vel de eadem dicta ratione non potest disponere. Si hoc, vel quis habet ius de eadem alios excludendi, vel ne hocce quidem ius alicui potest concedere. Si *primum*, res est in dominio; si *alterum*, res in relatione ad eum, qui eiusmodi excludendi ius habet, iacet; et si *ultimum*, res est nullius. Ex quo manifestum est, rem aut esse in dominio, aut iacentem, aut nullius.

§. XXXIV.

*Quae diuisio
probatur.*

Vis diuisionis probationem, hanc ita accipe. Fieri posse, vt res quaedam sit in dominio, et vt res quaedam sit nullius, satis a Doctõribus probatum est. Fieri etiam posse, vt res quaedam sit iacens, hac ratione confirmo. Nullus forsan negabit, ius alios a re quadam excludendi, possibile esse. Hoc concessio, argumentor: Ius alios a re quadam excludendi est ius negatiuum seu ius, quod ad actiones alterius omisuias refertur. Quare, cum ab eiusmodi iure negatiuo ad ius affirmatiuum, quod scilicet ad actiones alterius commisiuias referendum, non valeat consequentia, (quod in iure naturali satis corroboratum), ius vero de re quadam suo pro arbitrio disponendi eiusmodi sit affirmatiuum ius (quod irerum nemo negabit, ideas satis euoluturus), consequens est, vt quis habere possit ius alios a re quadam excludendi, licet nullus habeat ius de eadem re suo pro arbitrio disponendi. His praemissis, quaero, vtrum eiusmodi res sit in dominio, an nullius. *Si in dominio*, affirmabis, quae loquendi vltui repugnant: *si nullius*, concedere debes, fieri posse, vt res quaedam sit nullius, quae non a quocunq; possit occupari. Quare, cum hoc principiis in iure naturali satis probatis repugnet,

ne-

neceſſe eſt, vt tertium rerum genus affirmemus. Eiusmodique rem, ad imitationem Doctorum, qui de hereditate iacente loquuti ſunt, *rem iacentem* vocaui.

SCHOL. Fortaſſe dixerit quipſiam cum HEINECCIO in Elem. I. N. et G. §. 231. Lib. I. not. : in ſola facultate, uſu alicuius rei alios excluſendi, non vero in facultate libere de re diſponendi, dominium conſiſtere, quoniam, vt dicit, notum ac peruulgatum eſt, facultatem libere de re diſponendi non competere pupillis, hos tamen dominos rerum ſuarum eſſe, nemo negauerit. Quum ergo definitionem id duntaxat ingredi debeat, quod ad rei eſſentiam ita pertinet, vt ab eſſe nequeat, ſublata vero facultate alios rei uſu excluſendi illico quis dominus eſſe deſinat: dubitari nequit, quin haec ſola domini definitionem abſoluat. Hic vero ſciat *primo*, regulam, quam poſuit, non eſſe ſufficientem, ad inquirendam in definitionis veritatem. Sit ſufficientis, vera etiam erit trianguli definitio, quod ſit ſpatium lineis terminatum. Sublata enim hac noſitione, figura definit eſſe triangulum. Si vero vera ſit haec trianguli definitio, verum etiam erit, quadratum eſſe triangulum; et quae reliqua. *Deinde*, verum quidem eſſe, pupillo non competere ius de rebus, quarum eſt dominus, ſuo pro arbitrio diſponendi, quoad actum, vt Scholaſtici dicunt, ſecundum, idem vero pupillum habere quoad actum primum. Quare, cum notum ſit, ad dominium non pertinere iuris exercitium ſed ius, quod etiam GROTIUS ſolidiſſime monuit, manifeſtum eſt, hanc rationem, qua iura pupillorum quoad exercitium reſtringuntur, non ſufficere ad illam de dominio definitionem reiiciendam. *Tandem*, non eſſe negandum ad dominium pertinere ius alios ab uſu rei, quae in dominio eſt, excluſendi, eiſmodi vero ius domini proprietatem minime conſtituere, variis rationibus tam a priori quam a poſteriori poſſe probari. Argumentum a priori in commate euolutum eſt. Argumenta a poſteriori permulta exhibent, quae de theſauro veteri, de venatione, hereditate iacente, ſimilibusque in iure tam romanorum quam germanorum dicuntur. Sed ſequentia efficient, vt dicta magis diſtincte quam hic poſſint perſpici.

S. XXXV.

Si res quaedam nondum occupata talem ad nos habeat Principium relationem, vt ab alio quodam ſine noſtra laeſione non poſſit occupari, res illa in relatione ad nos erit iacens. Quum enim quilibet per leges naturales habeat ius, alios cogendi ad

Principium explicatur, ex quo rem quandam eſſe iacentem probari poteſt.

ad eiusmodi omittendas actiones, quibus laedi possit (§. 325. Cor. 2 I. N.); quilibet etiam per leges naturales habebit ius, alios ab occupatione eiusmodi rei, quam sine illius laesione occupare non potest, excludendi. Re nondum occupata nos non posse uti, vsus atque occupationis notiones immediate docent (§. 446. 462. f. I. N.). Quilibet itaque per leges naturales habet ius, alios ab vsu rei, quam sine illius laesione occupari non potest, excludendi. Quoniam porro ex ante datis patet, rem illam, quia nondum occupata, non esse in dominio, contequens est, ut res in relatione ad nos sit iacens, quae nondum occupata, talem tamen ad nos habeat relationem, ut ab alio quodam sine nostra laesione non possit occupari (§. 33.).

§. XXXVI.

*Quod iterum
confirmatur.*

Negant forsitan dissentientes, fieri posse, ut res nondum occupata eiusmodi ad nos haberet relationem, quam ante posuimus; sed necesse erit, ut negandi afferant rationes. Quum enim fieri possit, ut res, certa in relatione spectata, determinationes quasdam habeat, quae quatenus in se aliaque sub relatione spectatur, eidem minime insunt: quum porro fieri possit, ut cum re quadam ius alios ab vsu excludendi connexum sit, cum qua, ius, de eadem suo pro arbitrio disponendi, nondum connexum (§. 34.); non possum non affirmare, relationem rei cuiusdam non occupatae ad nos, vi cuius alius eandem sine nostra laesione non occupare potest, possibilem esse. Vis probationem a posteriori, hanc ita accipe. Ponas in eo terrae spatio, quod ad τδ nostrum pertinet, vagari animal ferum, positum esse thesaurum veterem aliasque res nondum occupatas, et concedere debes, eiusmodi res non ad τδ nostrum pertinere, talem tamen ad τδ nostrum habere relationem, ut durantibus hūc determinationibus, ab alio sine nostra laesione non
pos-

possint occupari. Si negas consequentiam, necesse erit, vt concedas, fieri posse, vt quis iuste agendo re nostra contra voluntatem nostram vtatur. Hoc si affirmes, omnia iuris necessitatis principia in iure naturali demonstrata euertere, statumque Hobbesianum iuris naturalis esse affirmare debes.

SCHOL. Quae cum ita sint, iterum patet, conceptum rei iacentis verum esse, et secundum naturale ius fieri posse, vt res quaedam non occupata certa in relatione sit iacens. Vsum doctrinae satis perspiciet in rationes politicas inquisitionis, quae iubent, vt ius venandi, ius veterem thesaurum aliaque occupandi inter regalia referenda; quae iubent, vt loca inculta, quae in ciuitatis territorio existunt, a priuatis sine territorialis domini consensu occupari nequeant; quae iubent, vt hereditas nemini delata sequuta domini morte à filio occupanda, et quae reliqua.

§. XXXVII.

Adquisito iure hereditario quacunq[ue] ratione delato, hereditas delata ratione eius, cui delata est, secundum naturale ius est iara quando sit iacens. Quum enim ipsa mortis natura doceat, sequuta domini morte, rem, quae in eiusdem dominio fuit, in dominio esse desinere; et adquisito iure hereditario quacunq[ue] ratione delato is, cui delatum, habeat ius, hereditatem illam ita in $\tau\delta$ suum recipiendi, vt alius eandem sine illius laesione in $\tau\delta$ suum recipere nequeat (§.23. II.): consequens est, vt adquisito iure hereditario quacunq[ue] ratione delato, hereditas ratione eius, cui delata, secundum naturale ius, sit iacens (§.35.).

§. XXXVIII.

Rem iacentem in $\tau\delta$ suum recipere, idem est ac eandem adire. Quia ex ratione prono veluti alueo fluit, rem iacentem non nisi mediante aditione secundum naturale ius posse adquiri.

C 3

§. XXXIX.

§. XXXIX.

*Huiusque effe-
ctus.*

Rem iacentem nemo secundum naturale ius adire potest, nisi is, cuius ratione iacet; et hic mediante aditione rei iacentis fit dominus. Primum immediate docet principium neminem laedas (§. 38. 35. 33.). Vltimum hac ratione euinco. Quicquid quis omni respectu in *rd* suum recipere potest, et in *rd* suum recipere vult, id suum est. Si res quaedam in relatione ad nos iacet, eandem omni respectu in *rd* nostrum recipere possumus (§. 35. 33.), et facta aditione palam est, nos eandem in *rd* nostrum recipere velle (§. 38.). Eiusmodi itaque aditione facta rem ante iacentem in dominio nostro existere, sequitur (§. 33.).

SCHOL. Haec forsitan est dissentientium sententia, ius naturale ad adquirendum rei, quae iacet, dominium non necessario aditionem requirere, sed sufficere, eandem esse iacentem. Quum vero quilibet saluo iure naturali ius suum abdicare possit, facile rationem perspicient, quae efficit, cur illam ad sententiam non accederem.

§. XL.

*Adcommodan-
zur explicata
ad adquisitio-
nem heredita-
ris per legem
familiarem
delatae.*

Adcommodemus haec tenus explicata ad acquisitionem hereditatis, et quidem primo per legem familiarem delatae. Hoc facile fieri posse, ex dictis manifestum est. Quum enim sequuta vltimi possessoris morte eiusmodi hereditatis ratione ius hereditarium ab eo, cui a primo adquirente delatum, adquiratur (§. 26.), consequens est, vt huius ratione hereditas illa dicta sub determinatione sit res iacens (§. 37. 39.), ideoque vt mediante aditione secundum naturale ius ab eodem possit adquiri (§. 38. 39.).

SCHOL. Nullam itaque habemus rationem, vt, quo eiusmodi acquisitionem iuris naturalis esse probari possit, cum Doctoribus, qui eandem sententiam corroborare voluerunt, fingamus hereditatis traditionem. Haec enim non adest, nec necessario ad eiusmodi acquisitionem requiritur. Si dicunt, secundum ius naturale nullum ius in re deriuatiue adquiri posse, nisi mediante rei traditione; ve-
lim,

lim, vt sententiam probent. Contrarium docent §. 27. et quae inde deduxi confectaria.

§. XLI.

Idem, mutatis nimirum mutandis, de acquisitione hereditatis per pactum hereditarium delatae valere, hac ratione corroborari potest. Sequuta promittentis morte, ius hereditarium ab acceptante ipso iure naturali acquiritur (§. 25.). Hac itaque sub determinatione hereditatis ratione acceptantis est res iacens (§. 37. 39.). Facta ergo aditione secundum naturale ius eiusmodi hereditatis fit dominus (§. 38. 39.).

Ad acquisitionem hereditatis per pactum hereditarium delatae.

SCHOL. Qui etiam hic cum HEINECCIO §. 283. l. c. affirmant, eiusmodi hereditatis acquisitionem secundum naturale ius mediante traditione a promittente facta fieri, legant, quae in Sch. §. 40. monui.

§. XLII.

Ponamus porro hereditatem per testamentum iuste esse delatam, idem valebit. Etenim, sequuta testatoris morte heres institutus ipso iure naturali acquirit ius hereditarium (§. 29.). Ergo et hac sub determinatione hereditatis per testamentum delata ratione heredis instituti est res iacens (§. 37. 39.), ideoque ipsa hereditas secundum naturale ius mediante aditione acquiritur (§. 38. 39.).

Ad acquisitionem hereditatis per testamentum delatae.

§. XLIII.

Satis inde intelliges, qua ratione acquisitionem hereditatis per testamentum iuris naturalis esse, a me affirmatum. Non mea est sententia, testatorem heredi instituto hereditatem testamento tradidisse, haec enim sententia fictionibus nititur, quas fugio. Non mea est sententia, heredem institutum hereditatem delatam ipso iure acquirere. Hoc enim repugnat principio, vi cuius quilibet ius suum potest abdicare. Sed distingo, quae cum ratione distinguenda, delationem nimirum iuris hereditarii, iuris hereditarii acquisitionem, et ipsam hereditatem.

Explicatur sententia Grotii de naturali acquisitione hereditatis per testamentum delatae.

hereditatis acquisitionem. Primam per testamentum fieri, alteram ipso iure naturali, et ultimam mediante additione satis, ut opinor, corroboravi. Quae cum ita sint, manifestum est, me non ad sententiam GROTII accedere, qui in I. B. et P. Lib. II. Cap. VI. §. ult. hac ex ratione, testamenta esse iuris naturalis, affirmat, quia testamentum est *alienatio in mortis euentum, ante eam reuocabilis, retento interim iure possidendi ac fruendi*, si enim testamentum sit alienatio, necesse erit, ut hereditas per testamentum heredi instituto sit tradita, hoc vero principis meis repugnare palam est.

SCHOL. Velim interim ut legas, quae Vir, cuius merita in iure naturali certissime immortalia, Per- Illustris de COCCII in obseruatione ad citatum GROTII locum contra definitionem illam de testamento monuit. Conferatur etiam ZIEGLER ad GROTIUM l. c. et PUFENDORF in I. N. et G. Lib. IV. Cap. X. §. 2.

§. XLIV.

Et Leibniti.

Nec minus ex dictis patet, sententiam meam de acquisitione per testamentum non cohaerere cum rationibus, quibus LEIBNITIUS *in noua methodo iurisprudentiae* p. 56. ff. eandem corroborare voluit. Hic enim ad testamentorum secundum ius naturae valorem confirmandum ingeniosissime ad animorum immortalitatem contugit, de bonis hac in vita relictis ita disponendum esse a viuis, ut immortales illi animi volunt, hos vero idem velle, quod ultimo in hac vita id est in testamento voluerunt, affirmans. Meis enim ex principis sequitur, sequuta domini morte rem desinere esse in dominio, ideoque animos, corporum viuentis exsolutos, rerum olim suarum dominium non retinere. Et quae reliqua.

§. XLV.

Responsio ad
argumentum
Grotiofr. a
Cocceii.

Res haec a doctissimis Viris in controuersiam uocata est. Ante itaque quam finem meditationis facerem,

rem, necesse esse iudicauerim, vt ad argumenta, quae in contrarium adduxerunt, eorumque praecipua responderem. Id fiat breuissimis. *Primo* ad argumentum, quod contra thesin illam in numerum principum iuris naturalis Doctorum certissime referendus GOTHOFREDVS de COCCII in solidissima Dissertatione de *Testamenti Principum* dixit. Ita enim ille P. I. §. 22.: *Testamenti ratio adeo naturae aduersatur, vt pugnam naturalem et contradictionem includat. Est enim talis dispositio, cuius vis omnis incipit demum post mortem testatoris: nam cum hereditas nulla sit viuentis, sequitur in vltimo, quo testator viuit, momento nondum coepisse ius aliquod hereditarium, sed demum post vltimum vitae punctum, adeoque testatore iam mortuo. Ergo dispositio quoque testatoris, ex qua oritur ius hereditarium, non incipit nisi post mortem eius: omnis enim dispositio perfecta tum incipit, cum ius ex ea oritur, ante enim non est nisi tractatus et actus imperfectus, nec dispositio perfecta intelligi potest, cuius nulla vis est. Quae vero maior naturae pugna est, quam iam mortuum et extinctum agere, et dispositionem facere vel perficere. Atqui talem dispositionem iam vidimus esse testamentum, quam testator fictione iuris facere videtur.* Argumentum in forma hoc erit:

Ex quo sequitur, mortuum atque extinctum agere et dispositionem facere vel perficere, id in iure naturali absurdum est.

Atqui, si quis secundum ius naturae ex testamento succedat, consequens erit, vt etc. etc.

Ergo.

Concedo maiorem, sed nego minorem. Hanc Vir Doctissimus hac ratione confirmare vult.

Si nemo secundum naturale ius in bona alterius succedere potest, nisi qui ius succedendi adquisuerit, viuo vero testatore heres institutus eiusmodi ius

D

ad-

adquirere non potest; consequens est, ut acquisitio per testamentum non sit iuris naturalis, nisi fieri possit, ut mortuus agere et dispositionem facere atque perficere possit.

Atqui verum est prius,

Ergo et posterius.

Sed nego consequentiam. Concedo heredem institutum ius hereditarium viuo testatore non adquirere. Sed nego necesse esse, ut idem per mortui testatoris dispositionem adquirat. Sequuta enim testatoris morte heredem institutum ius hereditarium ipso iure naturali adquirere, §. 29. satis corroboravi. Et quae reliqua.

§. XLVI.

*Responsio ad
argumentum
Gualingii.*

Sequitur argumentum, quo GUNDELINGIVS contrarium corroborare voluit. Sic ille in Exercitat. de Principe herede ex testamento civium Cap. 1. §. 1. et 2. Praeponimus, testamenta vim suam accepisse a iure arbitrio. Neque enim necessario ex ipso rationis fonte profluit, ut, quod quisque post mortem suam fieri cupit, stabile sit atque immotum. Sicut enim post funera sua nemo amplius vult; ita etiam nihil de facultatibus nostris post obitum transfertur; cum translatio requirat voluntatem, illaque certissimum sit humani decreti complementum. Cui non obest, velle et arbitrari testatorem antequam e vita abeat, ut vel hic, vel ille, vel iste patrimonium suum accipiat, et dominus fiat. Negamus namque viuum aliquid transtulisse, aut alienasse a se firmiter. Potest enim, quamdiu vivit, mutare animum; dumque haec facultas tribuitur viuis; iterum consequitur, ut nihil alienauerint spirantes. Argumentum in forma hoc erit.

Si condito testamento nil de bonis testatoris in rationem heredis instituti secundum naturale ius transfertur, consequens est; ut acquisitio hereditatis per testamentum delatae non sit iuris naturalis.

Prius

Prius verum esse variis rationibus corroborari potest.

E. et verum est posterius.

Sed concedo antecedens, nego vero consequentiam. Manifestum enim est ex ante probatis, hereditatem per testamentum delatam non ob translationem testamento factam, sed ob ius hereditarium, quod heres institutus sequuta testatoris morte ipso naturali iure adquisiuit, mediante aditione heredem institutum acquirere.

§. XLVII.

Tandem ad argumenta, quae HEINECCIUS in Elem. *Responsio ad*
I. N. et G. Lib. I. §. 287. et 288. in contrarium adduxit. *argumentum*
Heineccii.
Primum est: Testamentum non esse iuris naturalis, facile
vnusquisque intelligit: Contradictionem enim implicare vide-
tur, hominem aliquid velle in illud tempus, quo velle non pos-
sit, et dominium rerum suarum tum demum in alium trans-
latum cupere, quando ipse non amplius earum sit dominus.
Quod sane a recta ratione alienum est. Est itaque argu-
mentum in forma:

Si homo non potest aliquid velle, in illud tempus, quo velle non potest, et si homo non potest dominium rerum suarum tum demum in alium translatum cupere, quando ipse non amplius earum sit dominus; consequens est, vt adquisitio per testamentum a recta ratione aliena.

Atqui verum est prius.

E. et posterius.

Sed concedo antecedens, et iterum ob rationes in resolutione dubiorum §. 45. et 46. positas nego consequentiam. Pergit Vir Ill. §. 288.: *Accedit, quod vix excogitari*
possit ratio, cur supersites mortuorum voluntatem pro lege ha-
bere teneantur, maxime, quum horum, quaecunque eorum sit
conditio, vix interesse possit, Dio an Theon eorum bonis frua-

tur: immo saepe ex odio atque inuidia magis, quam ex vero amore, proficiantur suprema illa morientium iudicia, ut mortuorum saltem his casibus magis interesse videatur, exitum non habere voluntates suas, quam illas a superstitionibus religiose seruari. Sed, quod primum attinet, facile intelliges, eiusmodi rationem argumentum nostrum minime euertere; et quod vltimum, ex hoc solummodo sequi, diuisionem aditionis hereditatis in necessariam atque voluntariam non esse iuris naturalis. Quod talia nostra thesi concedere possumus.

SCHOL. Possem hic etiam respondere ad argumentum, quo PVFENDORF I.N. et G. Lib. IV. cap. X. §. 4. ff. TEXTOR in Synops. Jur. Genr. Cap. VIII. n. 43. HVBERS de iure ciuitatis Lib. II. Sect. VI. cap. VI. THOMASIVS in obseruationibus ad Institutiones alique testamenta iuri positino simpliciter ascribenda esse, probare voluerunt, respondere. Quum vero omnia ex eodem fonte, in praecedentibus satis obstrueto, fluant; sequitur, explicata pro scopo sufficere.

§. XLVIII.

*Tandem ad-
quisitio here-
ditatis per le-
gem amoris de-
latae explica-
tur.*

Ponamus tandem, hereditatem per amoris legem esse delatam; consequens erit, vt sequuta morte eius, a quo delata est, is, cui delata, ipso iure naturali adquirat ius hereditarium, si probari nequit, defunctum alium magis amasse, quam eum, quem per naturam maxime amare debuit (§. 31.). Ergo et distis sub determinationibus hereditas delata in relatione ad eum, cui delata, est res iacens (§. 37. 39.). Secundum itaque naturale ius hereditatis dominium mediante aditione adquirat (§. 38. 39.).

§. XLIX.

*Ordo in adi-
tione, si diuer-
sis subiectis di-
uerfas per ra-
tiones heredi-
tas delata, ob-
seruandus ex-
plicatur.*

Deducamus ex distis principium aliquod generale. Mediante aditione hereditatis dominium ante adquiri non posse, quam ius hereditarium adquisitum, ex illis manifestum est (§. 37. ff.). Ius hereditarium non posse adquiri nisi ea ratione, qua delatum est, docet §. 22. ff. Qua-

Quare, cum secundum ius naturae primo valeat delatio per legem familiarem, post per pactum, deinde per testamentum, et tandem per legem amoris (§. 21.), sequitur, vt secundum ius naturale, si diuersis subiectis diuersas per rationes hereditas delata, *primo*, mediante aditione hereditatem adquirat, cui per legem familiarem eadem delata; hoc si non factum, mediante aditione hereditatem adquirat, cui per pactum hereditarium delata; si porro nullum existat pactum, heres testamento institutus hereditatem dicta ratione adquirat; tandem si nullum conditum testamentum, is, cui hereditas per legem amoris delata, ab intestato mediante aditione in bona defuncti succedat.

CAPVT IV.

DE

EFFECTIBVS ADQUISITIONIS HEREDITATIS
SECUNDVM IVS NATVRAE.

§. L.

Transco tandem ad naturales hereditatis adquisiti-
onis effectus. Hic vero multa dici deberent, si ex instituto
singulos recensere vellemus. Reseruata vero in locum, vti
speramus, alium tractatione specialiori; pauca hic edisse-
remus ad adquisitae hereditatis pertinentia effectus. Pri-
mum in eo vertitur, vt ostendam tacitae hypothecae natu-
ram, rationesque, quibus secundum ius naturale eiusmodi
hypotheca constituitur. *Hypothecam* Doctores vocant, ius
in re aliena ad obtinendam securitatem eius, quod iure per-
fecto nobis praestare debet. Ius in iure aliena idem est, ac
ius rem alterius in *re* nostrum recipiendi. *Hypotheca* itaque
est ius rem alienam in *re* nostrum recipiendi, si ea non prae-
stat, quae iure perfecto praestare debet. Ideoque ius rem
alie-

*Hypotheca
quid.*

alienam in τ nostrum recipiendi, ad obtinendam reparationem damni, inde illati, quia alter ille id non praestat, quod iure perfecto praestare debet.

§. LI.

Quae vel expressa vel tacita.

Ius illud, quod hypothecam constituit vel pacto vel ipso iure acquiritur, si prius, vocatur *hypotheca expressa*, et si posterius, *tacita*.

§. LII.

Effectus hypothecae determinatur.

Si quis in bonis alterius habeat hypothecam, consequens erit, ut hic bona illa, ad quae hypotheca constituta refertur, nec iuste alienare, nec alteris in iisdem hypothecam quandam concedere possit. Quum enim omnis actio, quae iuri alterius quaesito contraria, iniusta sit (§. 155. I. N.), et eiusmodi bonorum alienatio, nouaeque hypothecae constitutio iuri alterius quaesito repugnet (§. 50.): consequens est, ut iniuste ideoque inualide agat, qui bona, in quibus alter habet hypothecam, velit alienare, aut nouam quandam hypothecam in iisdem constituere.

§. LIII.

In collisione hypothecarum, quae praeferenda.

Ex ipsa itaque hypothecae notione, id est, iure naturali sequitur, ut *in hypothecarum collisione prior semper sit posteriori potior*, licet illa sit tacita, et haec expressa: illa sine rei traditione, haec mediante traditione constituta; illa specialis et haec generalis, et quae reliqua.

SCHOL. Si velis sententiam celeberrimorum nominum auctoritate firmatam, legas Tom. III. Vol. II, opusculorum HER TII pag. 114. et 321. ff.

§. LIV.

Fundamentum, quo secundum naturale tacita hypotheca constituitur.

Si quis habet ius ab altero iure perfecto postulandi, ut aliquid praestet, illi ius naturale talem in bonis alterius dat tacitam hypothecam, quae ad obtinendam debiti securitatem sufficit. Quum enim is, qui id non praestat, quod iure perfecto praestare debet, alterum laedat (§. 322. I. N.), et quilibet laesus secundum naturale ius habeat ius, a laedente mediante etiam coactione postulandi, ut damnum praestet (§. 334. I. N.):

ma-

manifestum est, ius naturale cuilibet dare ius, bona illius, qui id non praestat, quod praestare debet, in *to* lium recipiendi, ad obtinendam damni reparationem, violato illo officio illati (§. 2.). Quare, cum eiusmodi ius tacita hypotheca vocetur (§. 50. 51.), consequens est, ut quilibet, qui habet ius ab altero iure perfecto postulandi, ut aliquid praestet, secundum ius naturae talem in huius bonis habeat tacitam hypothecam, quae ad obtinendam debiti securitatem sufficit.

§. LV.

Eodem igitur tempore, quo obligatio illa perfecta constituta, secundum naturale ius tacita illa hypotheca constituitur.

Et quo tempore haec constituta explicatur.

§. LVI.

Aditione hereditatis heres eiusmodi bona, in quibus alteri hypothecam iuste habent, acquirere non potest. Heres enim hereditatis aditione ea solummodo acquirere potest bona, quorum ratione ius hereditarium a defuncto potuit deferri (§. 37. ff.). Quum vero defunctus ratione bonorum, in quibus alteri iustam habent hypothecam, eiusmodi ius deferre non potuerit (§. 52.), palam est, fieri non posse, ut aditione hereditatis heres eiusmodi bona acquirat.

Bona, quae heredes aditione hereditatis non acquirunt.

§. LVII.

Ex quo legitime colligitur, heredis esse officium, ut illa hereditatis bona, in quibus alteri iustam habent hypothecam, alteris praestet.

Et quae alteris praestare debet, determinatur.

§. LVIII.

Si hereditas per legem familiarem delata, heres successor secundum naturale ius in bonis ultimi possessoris tacitam habet hypothecam, ad obtinendam hereditatis dicta ratione delatae securitatem. Quum enim eiusmodi successor ab ultimo bonorum possessore iure perfecto postulare possit, ut eiusmodi hereditatem illi seruet illaenam (§. 15. 25.), tacitam illam hypothecam ius naturale constituere §. 54. immediate docet.

Dicta admodum ad obtinendam hereditatem per legem familiarem delatam.

§. LVIII.

Ex quibus porro sequitur 1) *tacitam illam hypothecam eiusmodi successores statim acquirere, hereditate a primo successore adita (§. 55.)*: 2) *Consecratoria fieri non posse, ut eiusmodi successores bona ad hereditatem illam pertinentia iuste alienent, aliisque in iisdem bonis hypothecam quandam concedant (§. 52.).* Primo itaque facto, heres successor secundum naturale ius habet ius vindicandi (§. 450. I.N.), et ultimo facto, tacita successoris hypotheca

inde nonnulli deducuntur.

theca potior erit hypotheca illa ab ultimo bonorum possessore alteris concessa (§. 53.).

SCHOL. Notare tamen et hic velis. quae generatim dicta per pacta aliasque rationes vario modo posse restringi.

§. LX.

Porro adcom- *Si hereditas per pactum delata, secundum naturale ius fieri non potest,*
modantur di- *ut promittens bona illa alienet, aliisque in eiusmodi bonis hypothecam con-*
cta ad heredi- *cedat.* Etenim, si hereditas per pactum delata, acceptans habet ius per-
zarem per pa- *fectum a promittente postulandi, ut eiusmodi promissum praestet (§. 10.*
ctum delatam. *24.);* perfecto itaque hoc pacto tacitam in bonis ad hereditatem il-
lam pertinentibus acceptans habet hypothecam (§. 54.). Promittens
ergo non habet libertatem eiusmodi bona alienandi, aut aliis hypothe-
cam in iisdem concedendi (§. 52.).

§. LXI.

Ex quo ire- *Quae cum ita sint, manifestum est, eiusmodi heredem adita heredita-*
rum consecra- *te non esse obligatum, de hereditate illa iis aliquid praestet, quibus a*
ria quaedam *defuncto hypotheca in eadem concessa, nisi haec hypotheca sit prior illa,*
deducuntur. *quam dicta in hereditate adquisiuit (§. 53.60.).* Ex quo porro facile in-
telleges, qua ratione eiusmodi heres habeat ius, bona, quae promittens
ille alienavit, vindicandi (§. 59.).

SCHOL. Quae in Sch. ad §. 59. monui, hic etiam notare velis.

§. LXII.

Tandem ad- *Consideratis adquisitae hereditatis iure perfecto delatae effectibus,*
commodantur *transimus ad eos, qui ex acquisitione hereditatis iure imperfecto,*
dicta, ad here- *per testamentum nimirum atque legem amoris delatae oriuntur.*
ditatem per *Hos ab illis diuersos esse, ex ipsa imperfectae delationis notione facile*
testamentum *intelliges. Quum enim eiusmodi hereditatis delatio a domino vel in vl-*
et legem amo- *timo vitae puncto reuocari possit (§. 13.17.),* dubium non erit, quin bo-
ris delatum. *na ad hereditatem illam pertinentia aliis iuste agendo alienare, aliisque*
in iisdem hypothecam possit concedere.

§. LXIII.

Ex quo ire- *Facta itaque eiusmodi bonorum alienatione, heres adita hereditate*
rum consecra- *eadem vindicare non poterit. Et si aliis eiusmodi concessa sit hypotheca*
ria quaedam *aut tacite aut expresse, heredis officium erit, ut adita hereditate bona illa,*
deducuntur. *in quibus iusta alteris concessa est hypotheca, huic praestet (§. 57.).* Re-
liqua, quae desunt, et singularia alio loco et tempore reseruo. Pro
scopo enim dixi

S A T I S.

CLARISSIMO
DOMINO MAGISTRO

RESPONDENTI DIGNISSIMO


S. D. P.

PRAESES.



Quid est, CLARISSIME MAGISTER, ut mihi tam carus sis atque acceptus, quam qui maxime; forsan patria, quam mecum communem habes? est quaedam ratio, sed non omnis: accedit forsan singularis discendi cupiditas, quae efficit, ut TVAM diligentiam, atque industriam quam in acquirendis rerum scientiis figis atque collocas, cum diligentissimo adaeques? accedit, sed nec haec omnis est. Accedit et alia, quae singularis. Ecquaenam? haec est, quia non ea agis ratione, qua homines agunt. Ingrediuntur ne plerumque homines in talem viuendi viam, qua statum quidem externum, non vero hominem perficere possunt: qua corporis habilitates acquirere possunt, animae vero perfectiones fugiunt: qua ingenii acumini inferuiunt, ea vero negligunt officia, quae voluntati atque libertati debent? Suntne homines pii, qui pie-
ra-

tatis speciem adferunt? Praestantne homines aliis officia, qui auribus aliorum blandiuntur? Aguntne vitam cum elegantia, qui vitiiis flagitiisque se inquinant? Elucentne virtutibus, qui ea agunt vitia, quae virtutem videntur imitari? Possem itaque de pulcherrimis animi TVI dotibus atque illa, cum singulari veraque morum elegantia coniuncta virtute non vulgari, copiose differere. Verum, quod amicitiae leges modestiam TVAM in pudorem dare prohibent; et honestissimam, qua vteris, vivendi rationem, quotquot te propius norunt, ex merito laudant; et denique, quantum ingenio scientiaque valeas, satis declarasti; idcirco in votum potius contraho verba: D. T. O. M. veneror, vt auram velis TVIS addere velit benignam, vt ad portum exoptatum adpulsus, nouam mihi atque crebriorem praebeas gratulandi laetandique materiam. Vale, Amicorum suauissime, ac me amare perge.



ULB Halle
005 360 803

3







EXERCITATIO PHILOSOPHICA *24*
Pr. Conumb.

DE
ADQVIVISIONE HEREDITATIS *13*
EIVSQUE EFFECTIBVS *1746, 1*
SECUNDVM
IVS NATVRAE

P. 299

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
ERNESTO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-
GARIAE ET WESTPHALIAE RELIQA
D. IMPERAT. AVGVST. SVMMO TOTIVS CAESAREI EQVITATVS
PRAEFECTO AC LEGIONIS EQVESTRIS ITEMQVE
PEDESTRI TRIBVNO

PRAESIDE
IOACH. GEORGIO DARIES
PHIL. ET I. V. D.
SERENISSIMO DVCI SAXO-VINAR. ISENAC. ET IENENSI A CONSILII
AVLICIS PHIL. MORALIS ET POLITICES P. P. O.
D. XXVI. MART. M DCC XXXXVI.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBICIT
M. LAVRENT. IOAN. DANIEL. SVCCOV.
SVERINO - MEGAPOLITANVS
LL. CVLTOR.



IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.

